

www.e-rara.ch

**De Vita & Meritis Philologi Et Theologi Incomparabilis Joh. Ludovici
Freyi, SS. Theol. Doct. & Prof. P. Oratio Funebris**

Beck, Jakob Christoph

Basileæ, M D CC LX

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: UBH Rf 592

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102855>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.


Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]





DE
VITA & MERITIS
PHILOLOGI ET THEOLOGI INCOMPARABILIS
JOH. LUDOVICI FREYI,

SS. Theol. Doct. & Prof. P.

ORATIO FUNEBRIS,

Quam d. xviii. Aprilis
ANNI SÆCULARIS TERTII
ACADEMIÆ BASILIENSIS

clō lōcc lō.

PUBLICÆ IN FREQUENTI
PANEGYRI RECITAVIT

JAC. CHRISTOPH. BECKIUS,

SS. Th. D. V. T. Prof. P.

Instituti Freyio - Grynæani Lector.



Rf 592

BASILEÆ,

Typis EMANUELIS THURNEISEN.
MDCCLX.

VITA & MERITIS
JOH. LUDOVICI FREY,
ORATIO FUNEBRIS
ACADEMIAE BASILIENSIS
JAC. CHRISTOPH. BECKIUS
Lecturae Publicae Professor



Basiliensis
The University of Basel
Basel



JAC. CHRISTOPHORUS BECKIUS, *SS. Theol. D.*
V. T. Prof. P. & Instituti Freyio-Grynæani
Lector, h. a. Facult. Theol. Decanus

S.

Verissima quidem & sapientissima illa est Doctorum Hebræorum sententia, quæ in *Talmudis Hierosolymitani* Tractatu שקלים *Cap. II.* legitur: אין עושין נפשות לצדיקים רבניהם הם זכרונם: *Non conficiuntur Epitaphia Justis: nam dicta ipsorum conservant eorum memoriam.* Neque sane obscurum est, quid sibi his verbis voluerint. Non opus est, ut Monumentis publicis, aut sepulcrorum Inscriptionibus, aut ἐπιταφίοις λόγοις, *Laudationibus sinebribus*, eorum memoria oblivioni eripiat, quorum vita actaque laudabilia omnium animis inscripta sunt, nec interire famam patiuntur. Eorum potius Nomen cito deletur, qui inanibus titulis ac mercenariis Elogiis sperant se æternitati consecrari posse. Illa tantum vera & solida laus est, quam virtute & recte factis tibi paraveris.


Quæ cum ita sint, nemo sapiens magnopere sollicitus fuerit, quemnam post obitum suum habiturus sit laudatorem. Ipsa virtus laudabit: ipsa sapientia præconem aget.

Quid vero Evangelium de ejusmodi gloriæ ab hominibus consequendæ cupiditate tradat, haud ignotum est. Idque potissimum

tiffimum ante oculos habet Christianus quilibet, maxime vero omnium Theologus, ut actiones suas DEO ac SERVATORI J. C. approbet, non ut vanam hominum fallacium laudationem consequi possit. Quid quod sollicitè nos cavere jubet sanctissimus ille SERVATOR noster, ne in eum finem, eoque animo faciamus, si quid boni faciendum sit, *πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις*, vel *ὅπως δοξασθῶμεν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων*, ut conspiciamur, & laudemur ab hominibus; eos enim, qui sic faciant, qui nihil nisi inanem gloriolam factis suis quærant, nullum aliud inde præmium reportaturos. *Ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν*, jam habent mercedem suam; nec aliam remunerationem expectare debent, *Matth. VI, 2. 5.*

Non quærit ergo sapiens gloriam; neque eo minus confectur. Sicut enim in Solis luce corpus umbram, ita virtus in Reipublicæ utilitatem demonstrata gloriam perpetuo comitem habet. Non raro equidem contingit, ut posterorum, & eorum adeo, quos minime convenit, filiorum ac proxima consanguinitate junctorum desidia aut alio vitio, eorum fama, quos defunctos laudare conveniebat, negligatur. Verum enimvero hoc, quidquid est vitii, non defunctis, sed viventibus dedecori est. Illi enim quod laudaretur, egerunt; hi suum erga optime meritos officium neglexerunt.

Est sane haud contemnendum officium superstitum erga defunctos, quod in virtutis memoria & laudis propagatione consistit. Ne jam dicam, ingrati animi certissimam notam esse, si eorum, qui & privatim de nobis, & publice de omnibus bene meriti sunt, poene eadem celeritate ex animo tollatur recordatio, qua mortuorum cadaver e conspectu remotum est; quis non facile intelligit, tali ratione optima virtutis exempla perire? Virtus & recte facta defunctorum haud ipsorum, sed posterorum causa laudantur. Iis nihil nostra laus prodest, qui ex hac vita discesserunt. Qui vero superstites sunt, in egregia majorum exempla cum inspiciunt, haud parum ad bonorum imitationem permoventur.



Si ad usum Gentium sapientissimarum respiciamus, apud omnes fere antiquitus hunc morem obtinuisse videbimus, ut vita sanctos solemniter laudarent. Apud Hebræos primum ipsæ S. Litteræ non raro קִנּוּת, ὀὔνησις, *Lamentationes*, in funere, aut post funus Virorum clarorum effusas commemorant. Virtutem & in hoste occiso laudavit David Rex, religiosus ille NÜMINIS cultor, Abneri, qui hostilem exercitum duxerant, eadem deplorans, 2 Sam. III, 33. הַכְּמוֹת נָכַל יְמוֹת אַבְנֵר : *Numquid mortuus fuerit Abner, ut stultus moritur?* Et quæ deinceps sequuntur. Quid quod in 2 Chron. XXXV, 25. peculiaris ad solemnem populi usum collectus *Threnorum*, seu funebrium laudationum *Liber* commemoretur, cui adjunctum & illud Carmen, quo Jeremias Propheta Josiæ R. mortem deploraverat, eademque opera laudes pii Regis decantaverat. Qui plurā de his cognoscere avet, Mart. Geierum adeat, de Luctu Hebræor. C. VI. §. 19.

Quid de Græcis dicam, apud quos raro Virtus & officium Patriæ præstitum debita laude caruit. *Ad sepulcrum ut plurimum perorantur defuncti laudes*, ait Joh. Potterus Archæolog. Græc. L. IV. C. 8. eumque morem, virtutis aliorum excitandæ ergo vel a Solone, vel a Pericle, sapientissimis Viris, introductum ostendit. Apud Romanos usitatae *funebres laudationes* omnibus, qui in latinarum rerum Scriptoribus non prorsus hospites sunt, notissimæ; cujus moris cum ipsa Republica nati auctorem *Valerium Poplicolam* Plutarchus refert, qui Collegam in Consulatu defunctum pro concione laudavit; quod deinceps adeo usitatum fuit, ut clarissimi in Republica Viri sui similes post obitum pro rostris aut alio in loco publico laudare honorificum sibi existimarent.

Ne quis vero suspicetur, Christianos forte ab hoc more alienos fuisse, multa equidem commemorare possem, nisi brevitati studendum foret. Non ergo Orationem *Eusebii Cæsariensis de Laudibus Constantini M.* referam, quippe quam non defuncto, sed viventi dixit, nec satis sibi ab assentatione cavet. Revocabo potius pios Lectores ad sanctorum Martyrum mecum recolendam memoriam, quos vetus Ecclesia quotannis in ipsis

eorum Natalibus, id est, recurrente Martyrii, quod obierunt, die, laudare orationibus, aut saltem publice recitatis nominibus memoriæ populi commendare solebat. Quo id animo factum sit, Chrysostomus aptissime docuerit, in *Biblioth. Photii Cod. CCLXXIV.* sic differens: Ἐγκωμιάζονται Μάρτυρες, οὐχ ἵνα αὐτοὶ τὸν ἑπαινον λάβωσιν, ἀλλ' ἵνα ἡμεῖς διὰ τῶν ἑπαῖναν διαναστῶμεν πρὸς τὴν μίμησιν. Celebrantur Martyres, non ut ipsi laudem accipiant; sed ut nos per eorum laudes ad imitationem accendamus. Est enim, ut idem Chrysost. Homil. XCI. τὴν Μάρτυρος, μίμησις Μάρτυρος. Honor Martyris, imitatio Martyris. Nec ignotum est sermum ecclesiasticarum studiosis, Basilium M., Gregorium Nyssenum & Gregorium Nazianzenum, insignes illos Christianorum Oratores, facundiam suam nunquam copiosius, quam in pie defunctorum laudibus demonstrasse. Sunt qui existiment eos modum in ea re excessisse, atque oratoriis suis figuris, exclamationibus, prosopopœiis, rudiori populo errandi, & sanctos illos audire nostros sermones, credendi occasionem dedisse, unde universus deinde Sanctorum Cultus & invocatio exorta fuerit: id quod præter alios nostrorum Theologorum demonstravit G. J. Vossius, Disput. XXV. quæ est de *Orationibus & Oblationibus pro defunctis.*

Nullum omnino dubium est, quin hanc ob causam jam inde propemodum ab eo tempore, quo bonæ Litteræ ex tenebris emerferunt, in Academiis potissimum, quæ *Universitates* vocantur, atque postea illarum imitatione in illis quoque Eruditorum sodalitatibus, quæ ad certa genera Scientiarum excolenda institutæ sunt, usu receptum sit, ut defuncti Professores ac Sodales, recitato publice Elogio laudarentur, quo & Virtuti sua præmia essent, & posteris ad imitationem excitarentur. Quod hasce nostras attinet *Basilienses Athenas*, eæ quidem complura Volumina proferre possunt earum Orationum, quæ ad propagandas insignium Virorum memorias recitatæ ac typis excusæ sunt. Nec sine magno fructu & nunc illæ leguntur ab iis, quibus res ante nos in hac alma Studiorum Matre gestas cognoscere lubet. Quo & illud pertinet, ut intelligatur, quibus rationibus Majores nobis florentem reliquerint
Acade-

Academiam, quam nos, ut posteris florentiorem relinquamus, utinam non frustra laboremus! Id vero neminem negaturum esse confido, haud temere negligendum illum morem, quo publicis & in lucem editis Orationibus & præsens & futura ætas edocetur, quibus Viris quibusque institutis res litteraria apud nos hætenus steterit.

Id perpendens, non leve me admissurum esse peccatum credidi, si honestissimæ Virorum Excellentissimorum & Nobilissimorum, qui proxima affinitate ac consanguinitate Virum pl. Venerandum atque Celeberrimum, JOH. LUDOVICUM FREYIUM attingunt, petitioni haud adnuerem, qua voluerunt, ut de Vita & Meritis ejus publice verba facerem. Fuit is, dum viveret, Academiæ nostræ ac Ordinis potissimum Theologici singulare lumen, *S. S. Theol. Doctor & Professor*, sua eruditione, pietate, prudentia, auctoritate, fama nominis omnium maxime excellens. Fuit fidissimus meus Præceptor, Fautor summus ac Promotor; fuit Avunculus. Quid Avunculo Ne-
pos, cliens patrono, discipulus præceptori debeat, si ignorarem, aut si non ultro, quæ ad gloriam talis Viri pertinent, studiose facerem, nullus dubito, quin omnium reprehensione dignus essem. Accedit *Institutum Freyio-Grynæanum*, quod LECTOREM præter alia quotannis vel Orationem publice habere, vel Dissertationem in lucem edere jubet, ut SS. Litterarum ac veræ pietatis studium omnibus modis promoveatur. Quid vero ad eum finem consequendum accommodatius; quid ad excitandos ex desidiâ veterno *Nazireos* nostros aptius; quid ad confirmandos eorum omnium, qui Ecclesiæ ædificationi, Academiæ incremento vigilias suas impendunt, animos efficacius; quam Viri vere Magni quasi ab inferis revocata & omnium oculis luculenter proposita Virtus. Faciam ergo officium, ad quod omni ratione obstrictum me sentio; & faciam alacri animo, ut, quantum in me est, Viri optime meriti, Theologi, non ordine tantum, sed re ipsa primarii, fama ab oblivione vindicetur.

Eum in finem cum annivêrsarius recurreret dies, quo B. Freyius obiit, prid. Cal. Martias, pro more ad hoc usque tempus recepto

cepto verba publice fecissem, nisi *anni secularis academici*, in quo nunc versamur, solemnitas requirere visa esset, ut illud pietatis officium paululum differretur. Nunc itaque, cum ea faustis ominibus celebrata sit, DEO adspirante, Magnifico Academiae Rectore & universo Senatu Academico permittente, in a. d. xiv. Calend. Maj. seu pro nostrorum fastorum ratione, in d. xviii. Aprilis, hujus anni c^{lo} lccc^{lx}. solemnem indicimus Panegyrim, atque omnium ordinum Proceres, & universos bonarum, imprimis sacrarum, Litterarum Fautores, ea, qua par est, ratione invitamus, atque enixe rogamus, ut hora x. matutina in Aestiva Theologorum Aula, quæ in summo Templo est, frequentes adesse, & benevolas præbere dicenti aures haud graventur, mutua iis quovis tempore officia spondentes.

Magnifico Academiae Rectore,
D. JOH. RODOLPHO THURNISIO,
 J. U. D. Pandect. & Juris Canon. Prof. P.
 Reip. Syndico Amplissimo.



LAUDATIO FUNEBRIS
VIRI CELEB.
J. LUDOVICI FREYI &c.

Non dubito fore inter Auditores nostros, quibus intempestiva hæcce Oratio videatur, cum in hac temporum festali lætitia, omnium animi ad nihil aliud intenti sint, quam ad ea, quæ exultationem nostram, de futuri Academiæ nostræ Sæculi felicitate bene ominantem, augere queant. Quid tu, dicet fortasse aliquis, publica nunc turbas gaudia, qui omnia læta cogitantes in tristem illum diem reducis, quo jacturam passi sumus irreparabilem; quo Ecclesia nostra Statorem ac Defensorem summum, Academia Lumen omnium clarissimum, Patria Civem integerrimum, Orbis litteratus singulare ornamentum amisit; quo vivere desiit JOH. LUDOVICUS FREYIUS? At ego minime omnium lætitiæ publicam infausto omine perturbaverim, ut qui primus nunc post Natalem trecentessimum Academiæ nostræ, & novi Sæculi auspicia a Magnif. D. Rectore rite capta, post erectos Oratione disertissima atque doctissima, totius Civitatis in optimorum temporum expectationem animos, in publicum prodire ausus, lugubre Carmen recitare instituerim. Quin potius omnia fausta, felicem temporum Reparationem, Spem melioris ævi, ferventissimis votis exopto, atque denuntio.

Igitur non revocabo vos, Auditores, ad animi tristitiam; non adfectus mœroris ciebo; non conclamationem instituiam; non ejulationibus oratoriis omnia implebo. Aliam

B

prorsus

prorsus viam insistam, & jucundam potius commemorationem eorum Bonorum faciam, quæ nobis per SUPREMI NUMINIS benignissimam Providentiam fuerunt concessa, quamdiu ea Celeberr. FREYIUM nostrum superstitem esse voluit. Ingrati fumus in DEUM, si id non faciamus; ingratiore, si nimis querelis benignissimum Numen offendamus, nec agnoscamus magnitudinem beneficii divini, quo Idem ille supremus omnium rerum Arbiter post Viri maximi obitum alium nobis dedit Virum insigni Pietate, Prudentia, Eruditione præditum, quem ut diu nobis conservet enixe rogamus. Nunc ergo, Auditores, imaginem vere magni & eximii Theologi mecum, in Vita & meritis Cel. FREYI nostri, recognoscite. Non utar coloribus, quibus pinguntur nonnullorum vitia, ut virtutes esse videantur. Non exaggerabo quidquam, nec in majus extollam; quippe quod ne ipsis quidem B. Viri Manibus, si ullus eorum sensus esset, placere posset, cum omnibus notum sit, quæ illius modestia fuerit. Ea est porro apud nos veritatis veneratio, ut nullo prorsus modo ejus Leges violare audeamus. Eo facilius etiam spero, me benevolos habiturum Auditores, quo magis brevitati studebo, ac prætermittam potius multa, quæ dici possent, quam ut patientia vestra abutar.

JOH. LUDOVICUS FREYIUS, SS. Th. D. & Prof natus est d. 16. Nov. St. Vet. a. 1682. Parentes habuit duarum insignium Stirpium, *Freyiana* & *Gernleriana*, nobiles propagines; quarum utraque primaria Reip. & Academiæ ornamenta, Ecclesiæque Lumina protulit. Pater fuit *Joh. Ludovicus Frey*, Reip. Senator, & Presbyterii Leonhardini Assessor optime meritis; Mater omnibus sui sexus virtutibus ornata, *Maria Magdalena Gernleria*. Hospitem in Historia nostræ Patriæ esse oportet, cui ignotum sit, utramque harum Gentium, *Freyianam* pariter & *Gernlerianam* jam diu nobilem esse. *Freyianam* illustravit RODOLPHUS FREY, cujus
Virtus

Virtus difficillimo Reformationis Ecclesiæ nostræ tempore ita enituit, ut summis Civitatis honoribus admoveretur, & in Senatum cooptatus, cum *Fridolino Ryffio & Henrico Ryhinero*, primus Academiae restauratæ, & velut ex inferis suscitatæ Curator, quem *Scholararcham* nunc dicimus, daretur a. 1532. Sed ut ad propiora tempora accedam; celebrem hæc *Freyiana* Gens tulit JOHANNEM JACOBUM, qui postquam suo merito in Academia nostra Professor Linguæ Græcæ constitutus, mox ad Decanatum Ecclesiæ cathedralis ab Illustr. *Jacobo Ufferio*, Armachano apud Hibernos Archiepiscopo vocatus, nondum xxx. ætatis anno exacto, Sæc. super. xxxvi. obiit. Posthumus hujus filius ejusdem nominis, JOH. JAC. FREY, post Litterarum Studia diligentius exculpta, per LXIV. annos Ecclesiæ nostræ Urbis, quæ ad Ædem Leonhardinam convenit, ædificandæ operam navavit, ac decessit xciv. ætatis annum egressus a. 1720. Fuit hic Avus Theologi nostri, qui ad eum instituendum atque ad excitandum ingenium haud parum contulit. Sæpe enim audiavi defunctum commemorantem, Avi Proavique exempla frequenter ante oculos posita, sibi plurimum presuisse.

Sed & alia fuerunt complura, majora etiam, quæ materna Stirps suppeditabat incitamenta. Mater enim, suorum quoque Majorum illustres imagines nostro ante oculos ponebat, atque ita Filio suo primogenito, sua jam sponte currenti, calcar addebat. In his *Gernlerianis* decoribus potissimum LUCAS GERNLERUS eminebat, cum duobus Filiis *Henrico & Theodoro*. LUCAS, SS. Th. D. & Prof. idemque Ecclesiarum nostrarum Antistes, nostri Avus maternus, de re litteraria & ecclesiast. optime meritus, Rector erat Academiae nostræ ipso anno sæculari, qui hunc antecessit, & Orationem tum Panegyricam pronuntiavit, quam omni ævo cum voluptate ac admiratione eruditionis & facundiæ legent posterî. Filius uterque Sacro Ministerio in Urbe maximo cum ædificationis publicæ fructu functus est, ac

suum istum Nepotem ex Sorore ad summa Academiae munera non adspirantem modo, sed & promotum vidit.

Neque istud prætermittendum censeo, quod ipse Defunctus cum maxima animi delectatione commemorare sæpius solebat: per maternum illum Avum suum se quatuor simul eruditis gentibus junctum esse, *Gernlerianæ, Zwingerianæ, Buxtorfiæ & Curionæ*. Nulla harum est, cui non plurimum Ecclesia & Academia patria, immo Orbis eruditus universus, debeat; nulla, quæ non perenni fama floreat; tres vero ad hodiernum usque diem Viros insignes Academici & Ecclesiastici Ordinis nobis suppeditant. Duxerat enim LUCAS GERNLERUS Mariam Margaretham Zwingeram, THEODORI, Theologi eximii & Ecclesiarum Antistitis filiam, cujus mater Magdalena Buxtorfia fuit, Johannis Buxtorfii & Margarethæ Curionæ filia, quam Leo Curio, Cæli Secundi Curionis, Celebrissimi Polyhistoris filius, genuerat. Quis est Historiæ litterariæ, imprimis Basiliensis, haud expers, quin mecum avide magna hæc nomina præclarorum Virorum in memoriam sibi revocet? Quibus addimus Reip. nostræ Patriæ Consules atque Statores Nobilissimos, *Krugios & Westenios*, ad quos per Aviam paternam genus suum beatus noster FREYIUS referebat.

Tali igitur genere cum natus esset FREYIUS noster, nullis caruit ad virtutem & Litteras excolendas subsidiis; ingenium erat alacre, memoria non prompta quidem, sed tenax, quæ, ut ipse commemorare solebat, tarde apprehenderet, at apprehensa firmiter ac fideliter custodiret. Judicandi vero & intimos rerum recessus rimandi, quam ἀρχινοίας Græci dicunt, quanta in ipso fuerit facultas, meminerunt mecum omnes, quibus vel ex sermonis commercio vel ex Scriptis, vel ex negotiorum gerendorum societate innotuit; nec dubium, quin in ipsa ejus pueritia jam ea se pro ætatis captu exseruerit, ac paullatim usu & exercitatione aucta sit.

Quantus

Quantus vero ardor discendi eum inflammaverit, testes sunt celerrimi progressus, quos in omni genere disciplinarum, quibus Parentes filium a teneris unguiculis Ecclesiæ destinatum imbui voluerunt, cum Præceptorum & Avunculorum admiratione fecit.

Fuit autem Puer illis potissimum erudiendus Magistris datus, qui publice in Gymnasio nostro docent. Non caruit tamen privata institutione talis puer, qui omnium fere suorum Præceptorum industriam antevertebat. Huc pertinet, quod ipsum referentem audiui, cum de tempore, quo Linguas Orientales discere cœpisset, aliquando sciscitarer: puerum vixdum decennem casu Grammaticam hebraicam nactum, intra paucas horas Elementa hujus Linguae perdidicisse.

Interea per omnes Classes, in quas distribui solent Gymnasii nostri tirones, cum transivisset, ac m. Martio A. 1696. ad publicas, ut loquuntur, Lectiones promotus, id est, ex pulvere scholastico in Academia lucem productus fuisset, latiore ac suæ discendi cupiditati accommodatiorem aperiri vidit campum. Itaque & publice & privatim sedulo docentes audivit Academiae Professores; & primum quidem Philosophos, eosque, qui Litteras, quas vocamus, humaniores tractant, qui juventutem studiosam ad legendos cum fructu Scriptores veteres latinos & græcos ducunt, qui præcepta bene dicendi tradunt, qui ex Historiarum Monumentis & Antiquitatis thesauris ea, quæ adolescentibus ad futuræ ætatis usum maxime proficua sunt, edisserunt. In his omnibus singularem diligentiam collocavit. Facile enim rerum litterariarum peritis credidit, quod nunc adolescentibus nostris vix persuadere possumus; Litteras istas humaniores omnis veræ eruditionis & fundamenta solidissima, & elegantissima ornamenta esse. Itaque in Latinis & Græcis sectatus potissimum est JOH. JAC. BATTIERIUM, tum tem-

poris Rhetoricæ Professore. In historicis prodigium illud eruditionis, JACOBUM HOFMANNUM, qui & Lexico Historico, & compluribus aliis Scriptis Orbi innotuit. In Philosophicis Logicam, Physicam, Mathesin studiose pertractavit, præter publicas reliquorum Professorum institutiones privata imprimis usus opera Viri, quem nunquam non celebrare solebat ipse, quem universus Orbis in omne ævum celebrabit, JACOBI BERNOULLII, Mathef. Prof. P.

Quantum in omni hoc disciplinarum genere profecerit, judicare facillimum est. Inde certe Viri eruditio, tanquam ex perenni fonte, profluxit. Nullus fuit Græcus Latinusve Scriptor, non Orator, non Poëta, non Philosophus, quem non ad unguem cognitum teneret. Quid vero de Historicis dicam, quos non primoribus tantum labris degustavit, nec ex Versionibus cognovit, nec nomina solummodo percepit, sed veræ ac solidæ eruditionis fontes adiit, indeque, non ex turbidis rivulis, doctrinam, quam tantopere admirati sumus, hausit. Inde etiam promta admodum ac elegans ejus facundia, item Stili latini puritas ac perspicuitas, cum ea, quam Græci *ῥητορικὴ*, Latini *orationis nervos*, appellant. Neque expers fuit Artis poëticæ, cui licet ob severiorum Mularum præcipuum, magisque Theologo dignum, studium, nonnisi mediocrem impenderet diligentiam, dedit tamen identidem nonnulla Carmina, quæ sedulum Poëtarum veterum Lectorem, & ingenium ab amœnioribus Musis minime abhorrens prodiderunt. Quod & nonnunquam musicis Concentibus, cujus artis imperitus non fuit, reficere & excitare studebat.

Quemadmodum vero non audiendis tantum Præceptoribus, sed & Libris legendis operam dabat assiduam; sic colligere sibi & comparare Bibliothecam mature instituit. Nihil in hoc genere ipsius sitim restringere poterat. Cum parerent illi præter publicam nostram, privatæ etiam copiosissimæ,

sissimæ, Avi, Avunculorum, Præceptorum Bibliothecæ,
 non contentus tamen aliorum thesauris frui, proprios etiam
 sibi quærere decrevit: Itaque ea de re assidue Parentes ille
 suos urgere, ut sibi Librorum copiam comparandi potesta-
 tem facerent; Avum potissimum rogare, ut ea in re præ-
 sidio esset. Cum diu Avus pueri aviditatem Libris inhian-
 tem reprimeret, hoc imprimis etiam atque etiam ingemi-
 nans, nondum maturum esse adolescentis iudicium, ut qui-
 nam Studiis suis præcipue accommodati sint Libri intelligat:
 differendum hoc negotium ac interea iis utendum, quos
 ipse ac ceteri suppeditaturi essent; non destitit tamen, do-
 nec optimus ille Senex Nepotem ad Bibliopolam ire jube-
 ret, ut aliquos ibi Libellos sibi seligeret. Is vero tanta avi-
 ditate universam Supellectilem librariam Bibliopolæ pervol-
 vit, ut & numero Librorum & selectu expectationem om-
 nium superaret. Cumque Avus existimaret, tribus vel qua-
 tuor nummis rem peractum iri, comperit mox, ne centum
 quidem florenos uni illi juvenilis ardoris impetu suffecisse.
 Quos quidem ille Libros, cum eruditorum iudicio ipsius
 ætati ac Studiis convenientissimos esse cognosceret, facile
 acquievit. Hos ergo non habuit tantum, sed & legit, imo
 legendo ac relegendo tantum non contrivit.

Id vero Litterarum humaniorum & Philosophiæ studium
 nunquam ita deposuit, ut penitus intermitteret. Per omnem
 enim ætatem suam græcos latinosque Auctores revolvit, im-
 primis cum animum a gravioribus meditationibus relaxare
 vellet. Philosophiæ autem adeo deditus fuit, ut nullam
 non partem ejus pertractaret. Rationalem Philosophiam &
 Metaphysicam primum quidem ex *Cartesio* ejusque Sectato-
 ribus, dein ex *Malebrancio* & *Lockio* sibi familiarem reddidit,
 in Physicis *Robaultium*, in Jure Naturali *Grotium* & *Pufendorf-
 fum*, in Mathematicis *Euclidem*, *Cartesium*, *Newtonum* maxi-
 me legebat, nulla vero ejus parte plus delectabatur, quam
Optica, quoniam ea admirabile visus artificium, quo nihil
 magis

magis Creatoris sapientiam patefacit, demonstrat. Eam ob causam & nonnulla sibi eo pertinentia instrumenta paravit. Cum porro ab ineunte ætate Librorum ab Anglis & Anglica Lingua scriptorum assidua Lectione imprimis delectaretur, nullus fere hujus Gentis Scriptor fuit, quem non sibi familiarem redderet.

Eminebat inter eos Anglorum Philosophos *Radulphus Cudworthus*, cujus *Systema intellectuale totius Universi* opus est, quo vix aliud eruditius ac solidius omnia Atheismi Systemata evertit. Eum itaque Librum adeo amavit, ut primus forte in Linguam latinam transferre institueret. Cum vero deinde comperisset, *Cel. Mosheimium* idem illud opus in manibus habere, ipse id deposuit, atque aliis otium impendit suum.

Interim cum tempus tyrocinii philosophici effluxisset, a. 1699. Magisterii Laurea publice donatus, & ad altiora dimissus est; postquam Præside V. C. THEOD. ZWINGERO, tum Physicæ Prof. Dissertationem editam *de natura mentis humanæ* cum laude defendisset; & Lector Canicularis *de Sirenib.* publice disseruisset. Continuo igitur novum exorsus curriculum SS. Theologiæ Studio se addixit, non tam Avicennarumque, ipsius quoque Matris, religiosissimæ Matronæ, desiderium, quam animi probe explorati propensionem secutus, quæ eum, ut dotes insignes, quas a Deo acceperat, in Ecclesiæ usum impenderet, compulit. Nec dubium est, quin id DEO favente, & consilia approbante factum sit, quod eventus imprimis admodum secundus declaravit.

Præceptoribus in S. Litterarum tractatione usus est illis, qui tum publice docebant, Viris præclaris, quorum nomina Scriptis propagata, & omnis ævi memoriæ commendata sunt: JOH. RODOLPHO WETSTENIO F. PETRO & SAMUELE WERENFELSIIS, tribus SS. Th. Professoribus, ex quibus

quibus hunc potissimum *Samuelem Werenfelsium* sibi sequendum & imitandum censuit, quem & deinde per xxx. fere annos habuit Collegam, amicumque singularem. Hujus certe Viri, quem inter primaria sua decora, quamdiu Litteris aliquis honor erit, non Academia solum nostra, sed universus Orbis christianus, numerabit, ingenium, *Freyiano* ingenio præcipue conveniebat.

His cum ita præparatus & instructus esset subsidiis, cumque tam peritos Studiorum sacrorum habuerit Duces, mirum non est, quod egregios fecerit progressus illo quadriennio, quod tum quidem curriculo ordinario sacrorum Studiorum erat destinatum; eosdemque insequenti tempore continuo ulterius promoverit. Neque enim ingenium, quod erat admirabile, neque sedulitas indefessa, unquam defuit. Quodcunque temporis alii somno, otio, alea, comessationibus perdunt, id omne noster lucrificiebat. Studium vero Linguae Hebraicae in pueritia coeptum duce *Jacobo Buxtorfio*, *JOH. II. Fil.* summa urgebat alacritate. Hunc suum appellare solebat *Buxtorfium*, cujus nomen & gratam recordationem nunquam ex animo deposuit, semperque cum testificatione lætissima eruditionis hebraicae, quam hoc Magistro sibi comparare coepisset, de illo loquebatur. Apud hunc ergo hebraicae Linguae, & Dialectorum Orientalium, Chaldaicae & Syriacae uberiores sibi comparavit cognitionem. Arabicam ipse proprio Marte discere instituit; nec sane contemnendos in hac quoque progressus fecit; & prius quidem, quam Studii Theologici quadriennium esset finitum, Scriptores difficiliore lectitare occcepit. Quanta vero animi contentione, quam prompta & tenaci memoria, quanta repetitionis constantia, qua laboris patientia opus sit, ad Linguas illas, arabicam imprimis, quae hebraicae demum suam perfectionem addit, perdiscendas, ii soli norunt, qui aliquam in iis operam collocarunt, aut collocant. Itaque cum a. 1703. in numerum V. D. Ministrorum recipi cuperet,

cuperet, ad eamque rem Venerandi Conventus Ecclesiastici explorationi sese offerret, cum admiratione auditus, & cum plausu receptus est. Non tam enim agebatur de eruditione exploranda, quam de more fervendo, quem Apostoli præscripserunt, & universa Ecclesia christiana sibi perpetuo custodiendum credidit. Eruditio satis jam spectata, & doctrinæ puritas, ex speciminibus antea editis patuit. In Disputationibus ordinariis sæpe fuerat auditus, & modo objiciendo, modo respondendo, suam dexteritatem Præceptoribus approbavit. Immo & pro more tum quidem recepto solemnius aliquod eruditionis specimen edidit, proprio Marte elaboratum, atque ex propria penu deductum, in quo nullam penitus partem Præses *Samuel Werenfelsius*, vel conscribendo vel defendendo sibi attribuit, sed solidam laudem *FREYIO* reliquit. Dissertatio nimirum tum edita fuit ejus, qua ex ipsis Arabum penetralibus *sententia Mohammedis de J. C.* eruitur & refutatur. Quod quidem juvenilis eruditionis specimen omni tempore à doctissimis Viris in pretio habitum fuit.

His absolutis, continuo ad iter litterarium se accinxit; profectus hinc est d. 20. Sept. 1703. Tigurum, cumque ibi per tres dierum hebdomades commoratus esset, Bernam, indeque Genevam se contulit. Ibi hiemem transegit, cum eruditis Viris, *Picteto*, *Tronchino*, *Turretino* familiariter versatus, & in Ecclesia germanica aliquoties concionatus est. Geneva *Lugdunum* abiit, ibi cum per aliquot substitisset dies, *Lutetiam Parisiorum* profectus est, ubi ineunte mense Majo a. 1704. appulit, ac sedem Studiorum pro aliquo tempore selegit. In hoc enim Orbis universi veluti compendio, non ille ædificia ac palatia Regum ac Principum miratus est. Non sectatus Ludos aut Spectacula, non quotidianas Pom-pas. Sed Bibliothecas scrutatus est; Eruditorum Virorum Musea adiit; Bibliopolarum tabernas perquisivit. Collegit sibi thesauros litterarios, quibus omni deinceps vita cum
singulâ

singulari delectatione frui, ex iisque & alios ditare potuit. Nihil vero magis cordi fuit, quam ut suam in Orientalibus Linguis peritiam augetet. Neque tamen ea tum in hac Urbium regina invenit subsidia, quæ speravit. Sæpe enim illi mihi referentem audiui, cum ab Amico rogatus esset, ut Litterarum sibi Hebraicarum Elementa traderet, in omnibus Bibliopoliis Parisiorum ne unam quidem hebraicam Grammaticam comparari potuisse, nec nisi tandem in Ponte novo, ubi lacinias omnis generis vendere solent, repertam. Neque etiam magna fuit Eruditorum, qui his incumbabant, ibi tum copia. Vidit quotidie Viros magnos, in alio genere florentes: *Montesalconium, Mabillonium, Rueum, Huetium, Malebranchium, Arnaldum, Nicolium*, alios. Orientalium vero Litterarum unum fere invenit Cultorem; sed Cultorem assiduam, & qui summum in eo genere assecutus erat eruditionis culmen, *Ludovicum du Four, Abbatem de Longueville*. Ad hunc continuo, cum Lutetiam appulisset, se contulit, in ejusque interioram amicitiam receptus est, non alia adjutus commendatione, quam testimonio illo publico, quod abeunti Ordinis Theol. Decanus dederat. Cum enim in eo perscriptum esset, *FREVIUM Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ Linguae non vulgarem sibi cognitionem comparasse*; festim desideravit ille, ut sibi præsentem aliquo specimine ejus rei firmiorem fidem faceret. Profert Scriptorem Arabem, non ex facilioribus; locum, qui primum occurrebat, legendum & interpretandum porrigit. Obstupuit, cum Juvenem audiret utrumque promte facientem. Interrogavit, ecquid uberiores in hujus Linguae exercitatione progressus facere cuperet; suam operam obtulit. Hoc vero FREVIUS admodum exoptatum accidit. Hanc ipsam, inquiebat, ob causam se Parisios venisse, ut illius, si fieri posset, consilio & auxilio in hac re uteretur. Quid multis? Cum Abbas ille, ab omnibus ceteris negotiis immunis, sibi tantum & Musis suis viveret, atque ipso illo tempore in animo haberet, Historiam *Tamuri*, quem vulgo *Tamerlanem* dicunt, celebris il-

lius in Oriente Principis, ex arabico sermone *Arabschiadis*, in latinam Linguam convertere, Juvenis istius nostri oblata opera uti decrevit, qui tali occasione talique duce facillime ad perfectionem progressus est. Itaque eum auctorem ipsi *Longuerueo* quotidie à summo mane ad meridiem fere addidens, prælegit atque interpretatus est. Ea interpretatio a Magistro emendata, calamo excepta est, & inter schedas beati Viri adhuc exstat, una cum iis, quæ ipse postea proprio Marte transtulit. Nam duce & comite *Longuerueo* ad c. 43. pervenerat.

Reliquam partem temporis sui in adeundis potissimum Bibliothecis collocavit, ubi S. Bibliorum Codices hebraicos Mscos, aliosque orientales excussit. Excerptis quoque nonnulla ex Commentario inedito R. *Aaronis ben Joseph*, *Judæi Caraitæ*, cujus Sectæ notitia eo tempore inter Christianos adhuc rarior erat. Suorum itaque Excerptorum partem, *Versione latina & notulis illustratam, præmissa Dissertatione de Auctore ejusq; Scripto*, quam mense Augusto 1704. Lutetiæ exaraverat, sequenti anno Amstelodami in lucem edidit. Quædam alia seposita inter Schedas servavit. Facit hujus libelli frequenter mentionem *WOLF. in Not. Kar. & Bibl. Hebr.*

His aliisque peractis, sub finem m. Augusti *Parisi*os reliquit, ac per Compendium, Noviodunum, Fanum S. Quintini, Montes Hannoniæ, Bruxellam, Antwerpiam, Rotterodamum, *Lugdunum Batavorum* se contulit. Ibi tum quidem per biduum tantum commoratus, Amstelodamum properavit, ubi d. 12. Sept. appulit. Dein vero *Lugdunum* reversus mensem unum ibi transegit, ut celeberrimam Academiam, ejusque instructissimam Bibliothecam diligentius nosceret. Nec enim cessavit, clarissima ejus tum Academix Lumina, *Jac. Gronovium*, Criticum, *Hermannum Witsium* & *Job. Marckium*, Theologos, eos porro eruditos, quos ex
Jac.

Jac. Golii Schola residuos invenite poterat, orientalis, imprimis arabicæ, litteraturæ cultores, assidue adiit.

Cum Lugduni Batavorum esset, Hagam quoque Comitibus excurrit, ut Sedem Ordinum Confoederati Belgii videret; adiit & Ultrajectum, recurrit Amstelodamum. Rediit tamen Lugdunum, ibique ad d. 18. Mart. 1705. commoratus est; Judæi alicujus eruditi in Talmude interpretando usus opera. Erat illi animo constitutum, in Angliam transire, ut & ibi Eruditorum coram uteretur colloquio, & Bibliothecas adiret, toto Orbo celeberrimas. Sed Parentes, Filii recuperandi cupidos, assidueque de reditu interpellantes, primum quidem distulit, etiam cum obiisse *Jacobum Buxtorfium* nuntiarent, ac desiderari Successorem *Buxtorfiano* nomine haud indignum. Quamvis enim suam operam Academiæ denegare minime vellet, nihilofecius ab Amicis edoctus, non eruditionem modo, sed & nomen requiri, ut fama à Majoribus accepta servetur, eaque de causa V. C. *Johannem Buxtorfium*, Jacobi ex fratre Nepotem, ex *Arionisti* Villa, ubi tum Ecclesiam regebat, destinari hebraicæ Linguae Professorem, qui ex ea Stirpe quartus publice doceret, ipse quidem facile eam causam non in Patriam revertendi arripuit; ne tamen aut eruditione aut industria carere videretur, *Excerpta R. Aaronis*, de quibus ante dictum, typis mandata, *Almæ Universitati Basiliensi*, *Magnifico Rectori*, ceterisque *Academiæ Proceribus* sacra fecit, atque sic speciminis loco misit. Deinde vero domum rediit, cum in itinere Coloniam Agrippinam, Francofurtum, Heidelbergam, Argentoratum salutasset.

Domum cum salvus appulisset, non otiosus vixit, sed primum quidem nonnunquam pro Suggestu ad populum habuit sermonem; deinde Studiosos adolescentes in SS. Theologiæ dogmatibus instituit; atque sic eruditionem suis curis ac vigiliis partam aliis quoque impertiit. Cujus rei

fructus in hodiernum usque diem perdurant. Superfunt enim nonnulli ex Venerandi Ministerii Ecclesiastici Corpore, qui jam tum à FREYI docentis ore se pependisse, cum is privatus adhuc esset, cum voluptate recordantur. Pertrahabat Libros Studiosis maxime utiles, ac in Academia nostra usitatos. Potissimum vero Linguarum Orientalium cognitionem promovere studuit, atque eapropter Academiae suam operam obtulit, si placeret eum titulo Professoris extraordinarii Theologiae Catecheticae & Ling. Orient. ornare. Sed Senatus Academicus, ne res in abusum traheretur, atque deinceps alii, qui digni haud essent, titulos peterent, eum in judicio Academiae acquiescere, ac sine titulo rem ipsam habere, id est, docere, quae obtulerat, voluit. [Vid. Decr. ad 1708. & *Matric. Theol.*]

Sed mox id genus laboris nostro natum est, quod eum magis magisque in eruditi orbis Theatrum produxit. Cum enim eodem, quo domum redierat, anno Cathedra Professoris Linguae Graecae apud nos vacaret, non ignorabat quidem, omnium votis designari & expeti V. C. *Samuelem Batteredium*, cui in hoc genere eruditionis jamdudum florenti, ambientium artibus, quae ante refrenatum ambitum, omnia poterant, bis jam ab iis, qui potentiores amicorum suffragiis, quam graece doctiores fuerunt, praemium Studiorum praereptum erat: adeoque Religioni sibi duxit, illi Viro optimo ac doctissimo obesse, quamvis ob cognationes amplissimas facile posset. Neque eo secius arripuit occasionem, quid profecisset ipse in hoc aliisque Studiorum generibus, publice demonstrandi. Edidit ergo in lucem Diatriben eruditam, *de conjungendo Studio Linguarum Orientis cum Studio graeco*; eamque adversus quasvis objectiones masculae defendit.

Brevi post, cum diem supremum obiisset *Jacobus Hoffmannus* Hitor. Prof., denuo FREYIUS in publicum processit, & accurate elaboratum opusculum *de Cyro, Monarchiae*

chie Persicæ auctore edidit, palmam vero ipsam tum quidem Cel. Jac. Christophoro Iselio cessit, quod factum est a. 1706.

His ita procedentibus judicari debebat, FREYIUM nostrum fortassis Ecclesiæ Ministerio, non academicæ Cathedræ destinatum. Factum enim est, ut, cum Ampl. Civitatis nostræ Ordo Templum cœtui *Huningæ minoris*, viculi ad alterum ab Urbe lapidem, dextræ Rheni ripæ impositi, curasset publicis sumptibus ædificari; hic deligeretur, qui Ministerio S. ibiungeretur primus, a. 1710. Nihil in hoc is Munere neglexit, quod à fido Pastore desiderari poterat. Conciones, quas ibi habuit, varii argumenti, omni studio conscriptæ inter Schedas ejus reperiuntur, ac docent, eum ædificationi plebis non minus, quam solidæ doctrinæ studuisse.

Voluit ergo Deus illum eorum quoque laborum, quibus S. Ecclesiæ Ministerium continetur, experientiam sibi parare, ut cum postea examinandis & vocandis Ministris operam dare deberet, tanto facilius de captu cujusque Candidati judicare posset. Nec nisi perbreve tempus Huningano Cœtui præfuit. Mox in lucem Academiæ maximo illius bono productus est.

Cum enim a. 1711. diem supremum obiret Cel. Vir, *Job. Rod. Wetstenius* E. SS. Th. D. & Prof. atque ita Cathedra Locor. Comm. & Controv. Theol. seu quod idem est, hodierno more dictum, Theologiæ dogmaticæ & elencticæ vacaret: confestim duo eximii Viri in arenam descenderunt; *Jac. Christophorus Iselius*, tum quidem Historiarum Prof., & noster *Freyius*, qui duo quamvis amicitiae haud fucatae vinculis continerentur, magnis tamen conatibus inter se de eruditionis palma decertabant. Nec erat certe alter altero inferior. *Iselius* Historiarum omnis ævi, & Antiquitatis Græcæ Romanæque cognitione; porro excellenti facundia & præcipue

præcipue copiosa atque expromta Oratione potissimum florebat; neque carebat ea rerum ecclesiasticarum ac theologicarum, nec non Linguarum peritia, sine qua Theologus esse nemo potest. FREYIUS in hac potissimum parte excellebat, quæ Theologo est propria, neque tamen illis Antiquitatis subsidiis & Historiarum destituebatur; in disserendo autem adstrictior, caput causæ, de qua agebatur, statim petebat: cujus rei fontem plerique dicebant, quod ille memoria plus, hic judicio polleret; quodque ille plus legerit, hic non legerit tantum multa, sed & meditatus sit. Quid multis? Ambo erant magni Viri, quamvis in genere aliquantum diverso.

Cogitate mecum, Auditores, quam attenta fuerit non modo Academia omnis, sed & universa Civitas, cum talium Virorum certamina litteraria & spectare & adjudicare deberet? Proposuerat FREYIUS Meletemata *de Officio Doctoris Theologi*. Meminerunt procul dubio, qui supersunt ex illis, quorum ætas audiendis tum disceptationibus idonea fuit; quanto eruditionis immensæ apparatu; quantis animorum ac virium contentionibus, quam amice tamen ac modeste inter se disseruerint; quod quidem Acroama omnibus Spectaculis atque Ludis Olympicis mihi jucundius fuisse videtur. Nec mirum, quod, cum ad suffragia itum esset, ambigui hæserint P. C. Cum enim unus esset eligendus, alterum tamen repudiare ipsa Academia indignum videbatur. Opus erat *Werenfelsiano* ingenio atque acumine, quod litem hanc in ipsis Electorum animis ferventem dirimeret. Ille enim acutissimus *Werenfelsius* modum invenit facilem, quo utrumque eodem tempore & sibi Collegam, & Academicæ atque Ecclesiæ præsidium acquireret. Suadet atque persuadet Senatui Academico, ut *Iselium* nominarent Locor. Comm. & Controv. Professore; *Freyium* vero *Iselio* in Historiis enarrandis succedere, eodemque tempore Theologiam extra ordinem docere juberent: Sic de eadem fidelia
duos

duos dealbari parietes cum summo Academiae bono posse. Nec mora : placet Academiae consilium ; plaudunt universi ; res ad Ampl. Civitatis Ordinem refertur, probatur, confirmatur, sicque duo præclari Viri eodem tempore publicis usibus in perpetuum addicuntur.

Cum Leges Academicarum passim exigant, ut qui ad Theologiam publice docendam vocatur, post examen doctrinae, editam Disputationem, ac publice propugnatam, & habitas Prælectiones, Doctoris suscipiat Axioma, id quoque cum *Iselio* noster fecerat. Ea occasione edidit Dissertationis de *Officio Doctoris Theologi* partem. Promotio d. 25. Aug. habita cum summo splendore fuit. Nam Promotor erat, Vir plur. Ven. D. HIERON. BURCARDUS, Eccles. Antistes & SS. Th. D. ac V. T. Prof. Inter Auditores confidebant præter Academicos & Ecclesiasticos Viros, Ampliss. D. D. Politarchæ, & Scholarchæ, qui omnes in Deductione sollemni Candidatos comitati sunt, & convivio doctorali humaniter interfuerunt.

Sic igitur nova rerum & laborum series nata est. Duplex enim provincia duplex genus docendi requirebat. Ut Historiarum Professor primum suis Auditoribus Compendium aliquod historicum, dein alios Historiarum tam Civilium, quam Ecclesiasticarum Scriptores enarravit. Ut Theologus *Hug. Grotii* aureum opusculum de *Veritate Relig. Christ.* potissimum pertractavit. Sed & complura ex gravissimis Argumentis Theologicis, ut de *Existentia & Attributis DEI*, de *Providentia*, de *Atheismo ac Deismo resellendo*, & *similibus*, quæ maxime ad ipsa Religionis fundamenta pertinerent, accuratius exposuit. Porro Disputationes hebdomadales, ac præter eas solennes habuit. In prioribus, habito quæstionum selecta, *Syllabum Controversiarum*, qui in usum hunc à superiorum temporum Theologis compositus est, adhibuit ; in altero genere elaboravit ipse nonnullas Diatribas, qualis est

de Officio Doctoris Theologi P. 3. & 4. Alias à Discipulis compositas emendavit, ac suo Præsidio defendit. Biduo antequam Professionis auspicia cepisset, extraordinarius licet, tamen, ne harum curarum expers esset, in Collegium Theologicum, ac postmodum in Senatum Academicum, fuit receptus. Nostis autem, Auditores, Collegii Theologici esse, non tantum ea, quæ ad Ordinem istum pertinent, item ad Studia ac Mores, nec non Examina Studiosorum adolescentum curare, quæ omnia Præside Decano peraguntur; sed & Venerando Pastorum Confessui, ac universi Ministerii sacri Conventibus interesse, à pl. Ven. D. Antistite convocatis. Nostis etiam FREYIUM nostrum, quoad firmior & ætate & valetudine fuit, his deliberationibus adfuisse. Septies Ordinis Decanus fuit. Quoties res Ecclesiasticæ curandæ erant; quoties consilium dandum; quoties de inhibenda morum ac disciplinæ corruptione agebatur; quoties Ecclesiæ in doctrina & cultu puritas vindicanda: suam semper operam diligenter contulit, idque semper cum summa prudentia & moderatione, nec non cum summa constantia ac fortitudine peregit.

Sed redeo ad labores Viri litterarios, quibus ille quidem omne suum tempus unice impendit. Non enim existimavit, præcipuam partem Muneris Professorum in administrandis pecuniis, in jure dicundo, in varii generis deliberationibus ac certaminibus consistere, à quibus fateor, FREYIUM alienissimum fuisse; sique Professoris & Theologi hæ sunt præcipuæ partes, fateor illum nec Professore, nec Theologum dicendum. Sin autem Professor ac Theologus est, qui in Libris legendis, in meditationibus litterariis & sacris, in colligenda Bibliotheca, in Lectionibus publicis privatisque habendis, in consilio de Studiis dando assiduus sit, non est certe, quod dubitemus, FREYIUM nostrum maxime insignem & Professore & Theologum fuisse. Nemo sane reperietur facile, qui aut plus legerit, aut plus meditatus sit,
aut

aut plus operæ ac sumptuum in Bibliotheca colligenda potuerit, aut publicas Prælectiones diligentius habuerit. Privatas ajunt nonnulli ab eo rarius habitas. Id de iis temporibus verum est, quibus & senectus & morbi corpus debilitare, & animi impetum reprimere coeperunt. Cum enim vegeta esset ætate, nullus fere præterit annus, quo non aut *Wollebii* Compendium, aut *Heideggeri* Medullam, aut *Ryssenii* Theologiam, aut *Osserwaldii* Libellum privatim Auditoribus prælegeret ac explanaret. Publicas vero Prælectiones, ut eo sapius habere posset, primum quidem valedixit Senatui Academico, cujus cum Assessor per xxx. fere annos fuisset, haud injuste missionem flagitavit; accedente quorundam Professorum acerbitate, qui eximio Senatore Academiam, quam honore Munerum Academicorum eum, qui ea semper modeste deprecabatur, carere maluerunt. Dein paulatim ingravescente valetudine veniam petiit, publicas Prælectiones domi suæ ut habere liceret; eamque, ut par erat, & magno quidem Studiosorum bono, impletravit.

Nam quot horas varii generis negotia academica ceteris Professoribus auferre solent, tot ille Naziræis nostris impendit. Quoties ordo ipsum tangebatur, (extremos Menses excipio, quibus ut vices ejus obirem, me rogavit) Disputationis Præsidentem egit, binasque suas Prælectiones habuit, quibus XII. Prophetas Minores, quos vocamus, exegetica, philologica & theologica expositione declaravit, textum originale ante oculos habens. Earum Lectionum, in quibus ad VIII. Cap. Zachariæ, qui eorum penultimus est, pervenerat, utinam Adnotata illius haberemus. Dubium non est, quin complures inde confici possent Explanations ei similes, quam solam ex hoc genere inter Schedas ejus reperimus, *Jonæ* Prophetæ, quem & Paraphrasi & Adnotationibus illustravit; Specimen nobis relinquens laboris, quem cum summa laude producere potuisset, si plura scribere

scribere aut animi indoles, aut corporis valetudo permiffet.

Nam, ut aliquo jam modo illis fatisfaciamus, qui eum in fcribendo minus diligentem fuiffe contendunt, quoniam nefas effe putant, ni eruditus homo quotannis aliquot Librorum Volumina in lucem extrudat: certum eff, FREYIUM noftrum præter corporis valetudinem etiam animi judicio fuiffe impeditum. Solebat enim de omni, quod proponebatur, argumento complures ftatim & optimos nominare auctores, quorum imprimis habebat copiofam & accuratam notitiam, nec quidquam in Hiftoria litteraria erat, quod illum fugerat.

Itaque, ne, fi permetteret quidem corporis valetudo, multa fibi, quæ ederentur, fcribenda effe putabat. Habebat in ea re præter alia magnorum Virorum, qui pauca in lucem ediderunt, ingenii & eruditionis monumenta, ante oculos illufre exemplum *Jac. Buxtorfii* fui, qui cum utroque *Johanne*, Patre & Avo, nec ingenio, nec eruditione inferior, ftili vero elegantia & acumine etiam fuperior effet, nihil fere fcripfit, per difcipulos potius bene inftitutos, quam per Libros, pofteritatem erudiens; id quod ille certe vel in uno noftro FREYIO, ut alios taceam, egregie præftitit.

Interim nofter præter editas Differtationes, alios quoque minime contemnendos Labores fufcepit, quibus apud Exteros abunde innotefceret. Huc pertinet, quod a. 1716. *Cel. Samuelis Werenfelsii* Differtationum varii argumenti partem alteram, auctore fic volente, collegit, & cum fua Præfatione Amftelodami edidit. Eodem referendum, quod a. 1728. *Cafpari Suiceri* Thefaurum Ecclefiafticum, ex Græcis Patribus collectum, opus præftantiffimum, poft primam editionem, emendationibus & additionibus *Joh. Henrici Suiceri*, *Casp. f. à Cl. V. Joh. Jac. Breitingero*, Tigurino, acceptis,

tis, suo tamen nomine haud adscripto, denuo edidit auctius. Quid vero de *Lexico illo Universalis Historico* dicam, quod vernacula Lingua editum, ac innumerabilibus erroribus in Germania foedatum, una cum Cel. Viris, *Jac. Christophoro Iselio, Theodoro Zwingero, Joh. Rod. Walckirchio*, a. 1726. emendavit & auxit, Historia n sibi potissimum litterariam, Basiliensem, Anglicanam & Orientalem proponens.

Nullum interim laboris litterarii genus nostro gratius, quam quod in *Linguis Orientalibus* infumebatur. Itaque non legit solum & excussit, quicquid Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Persica, Æthiopica ceterisque Dialectis vel typis excusum, vel Manuscriptum in sua pariter & in publica Bibliotheca exstat; omnia vero ad S. Litterarum expositionem retulit, ejusque generis Adnotata nonnulla reliquit. Cumque per annos complures, priusquam Bibliothecarius esset, aditum liberum ad Bibliothecam publicam haberet, id potissimum elaboravit, ut Arabicos evolveret Libros, quorum Inscriptiones & Argumenta in communem usum latine expressit, & sua manu adscripsit. Inter hos notabilis præ ceteris est Codex Mictus, qui Historiam celebris ac præpotentis Sultani *Saladini*, auctore coævo *Bohadino f. Sjeddadi* continet. Eum ineditum in latinam Linguam convertere ac adnotationibus illustrare instituit; usus quidem labore doctissimi . . . *Harderi*, qui illum Codicem cum aliis Constantinopoli sibi comparaverat, unde ipso mortuo Bibliothecæ nostræ publicæ illatus est: eum tamen laborem, qui ultra partium quarundam latinam interpretationem non est progressus, supplere, emendare, perficere ac notis augere studebat. Verum dum illud mente agit, comperit ex Actis litterariis, Celeb. *Albertum Schultensium*, Lugdunensem apud Batavos Professore, in his litteris versatissimum, huic ipsi Libro insudare, qui & a. 1732. in lucem emissus est. Sic ergo *Saladinus Freyianus* in spongiam incubuit.

Est porro FREYIANÆ eruditionis Specimen, quod vere dicere possumus, egregium: SS. *Patrum Apostolicorum, Clementis, Ignatii & Polycarpi Epistole*, atque duorum posteriorum *Martyria, græce & latine, cum Varior. & suis Adnotat. & Pref.* prælo commissa a. 1742. In qua quidem editione nihil non summa laude dignum est. Ipsa vero *Prefatio* in justæ *Dissertationis* modum conscripta, & *Notæ Clementis Epistolæ* subjunctæ, editoris ingenio dignissimæ sunt. In *Adnotationibus* certe, *Patricio Junio & Joh. Fello*, Anglorum in hoc genere eruditissimis, palmam fere præripuit. Cetera brevitatibus gratia prætermitto.

Sic ergo Scriptis, in quibus non molem, sed nervos, non copiam, sed perspicuitatem ac bene ordinatam rerum dispositionem admiramur, suum nomen ab oblivione vindicavit. Longe plus vero posteritati profuit, cum operam assidue daret, ne in nostra hac Academia deessent, qui præter reliquam doctrinam theologicam, Orientalium quoque Litterarum haud proletariam haberent notitiam, ad posteros propagandam. Eum in finem juvenes quosdam ingenio & industria præ aliis valentes sibi delegit, quibus ista diligentius traderet. Ex hac Schola diversis temporibus prodierunt *Battierii, Grynæi, Bruckeri, Gernleri, Ertzbergeri*, aliique Reverendi & Clarissimi Viri, quos utinam omnes vivos valentesque nobis diutius conservare DEUS voluisset!

Neque tamen cum tales essent FREYIO familiares, & velut interioris admissionis discipuli, cuivis alii ad eum difficilis fuit aditus. Nam è contrario quoties id valetudo ferebat, nemo non, qui aliquid ex eo discere volebat, admissus est. Ibi de Libris, de Eruditorum sententiis, de Studiorum Methodo, de difficilioribus S. Scripturæ aliorumque Veterum cujuscunque Linguae Auctorum locis, aliisque dubiis & intricatis quæstionibus; item de Conscientiæ Casibus, de scrupulis circa doctrinam salutarem, de errantium

tium in rectam viam deductione, de impiorum perversis contra Religionem disceptationibus, de Regno Christi augendo, Satanæ tyrannide destruenda, de omnibus utilibus & salutaribus argumentis respondebat. Nemo ab ejus Colloquio, nisi doctior, ac in veritate confirmator abiit, si eos excipias, qui non discendi causa forte accesserant. Istud quoque affirmare possumus, omnes fere, qui inde à XLVII. annis in Civitate & ditione nostra, ut Exteros taceam, Ecclesiis præfuerunt, una cum iis, qui in Academia S. Theologiam docuerunt ac docent, inter *Freyianos* Auditores fuisse.

De me nihil dico, cui tarditas ingenii obstitit, quominus plura ex B. Viro discerem. Fateor tamen illi me juxta ac B. *Werenfelsio* & B. *Iselio*, quidquid hoc est, quod in Litteris possum, ex asse acceptum referre. Hic vero FREYIUS noster ad hoc divinitus destinatus fuisse videtur, ut me ex umbra Musei, in publicam Academiae lucem protraheret. Eam ad rem suis me exhortationibus incitavit, suo suffragio adjuvit, suo patrocinio texit, suis consiliis sustentavit.

Ceterum non ex nostratibus tantum, sed & apud Exteros fuerunt ac sunt Viri præclari, qui in adolescentia in hoc Athenæo nostro Studiis sacris operam dederunt, memorie *Freyianæ* seduli cultores, qui litteris suis gratum in eum animum sunt testati, ac de variis in Ministerio Ecclesiæ occurrentibus quæstionibus illum consuluerunt. Sed præter illos, qui FREYIUM docentem audiverant, fuerunt & alii, qui eum aut in itineribus cognoverunt, aut fama nominis permoti eum in honore habuerunt.

Horum sunt litteræ, non familiares quidem, ac verbis potius, quam rebus refertæ; sed plerumque de argumentis gravissimis agentes, quæ ille pro consueta ipsi eruditione dilucide

dilucide explicare solebat. Utinam harum Responsionum *Freyianarum* facile colligere possemus exempla! Habermus illustria prorsus ingenii & doctrinæ complura monumenta; quale illud est, quod fere solum ex hoc genere inter Schedas exstat, Scriptum, quo *Animadversiones nonnullas in Jacobi Reimmanni opusculum de Atheismo*, illudque Caput, quod *de Atheismo Mohammedanorum* agit, ad Clar. Zimmermannum exaraverat, opus suum amplissimum *de Atheis* hac purpura ornaturum, nisi fata ineditum illud relinquere coëgissent.

Superfunt & Hebraicæ quædam Epistolæ, nec non Arabicæ à *Fabdio*, Nobili Viro Sidonio, exarata, qui cum folius Arabicæ Linguae gnarus hic, ubi per hebdomadem versatus est, neminem sine Interprete alloqui posset, præter FREYIUM nostrum & GRYNÆUM; post discessum etiam suum aliquoties litteris eos compellavit, ab iisque responsa eadem sua Lingua accepit.

Non parum etiam publicam utilitatem promovit, cum *Bibliothecarii Academici* Munere per xx. propemodum annos fungeretur: Quanquam & antea Bibliothecariis sua opera adesse, & quidquid poterat, consilii ad Bibliothecæ incrementum conferre solitus sit. Huc pertinet, quod ejus Librariæ suppellectilis, quam publicæ nostræ insertam *Bibliothecam Buxtorfianam* appellamus, ipse sua manu confecit Catalogum. Ea est insignis Librorum ad Orientalem, & potissimum Rabbinicam Litteraturam pertinentium, plerumque rarissimorum, collectio, à tribus *Buxtorfii* summo studio comparata, cui pares paucæ inveniuntur. Ejus ergo Bibliothecæ Catalogum ipse, pro sua in his Litteris peritia confecit, quo nos omnes commodissime utimur. Voluit deinde, ut ad incrementum hujus Bibliothecæ ab heredib. CCC. floreni, aliique C. pro Bibliotheca Alumnorum augenda numerarentur, id quod &, ut voluerat, factum est. Verum tempus est &c.

Nihil

Nihil magis in votis erat, quam ut per omnem vitam historicae Cathedrae insidere, ac interim Theologicam extra ordinem ornare posset. Neque id sane sui commodi causa optabat. Vidimus enim extraordinarium S. Theologiae Professore nullam non parte Muneris, quod ordinariis incumbit, strenue defunctum esse; neque eo secius Historicae Professioni satisfecisse, cujus permodico Salario fruebatur. Quid ergo novi laboris accedere poterat? Emolumenti autem majoris adeo cupidus non erat, ut ullam propter id mutationem optaret. Paucis contentus, nihil ultra desiderabat.

Verum enimvero, cum Ecclesia & Academia nostra intra unius fere Mensis spatium a. 1737. duos amitteret Theologos, eximios ambo Viros, quorum prior Cel. *Jac. Christophorus Iselius*, Locor. Comm. & Controvers. Prof. ipsis Eidibus Aprilis; alter pl. Ven. *Hieronymus Burcardus*, Vet. T. Professor, simulque Ecclesiarum nostrarum Antistes, Nominis Maji decesserat; necessario quaerendus erat Cel. *Werenfelsio*, qui solus ex Collegio supererat, sed per causam senii ingravescantis jam dudum negotiis publicis valedixerat, Collega, qui illius vestigiis insistens lapsantem Theologicum Ordinem suis consiliis suaque auctoritate restitueret. Senatus Academicus ergo haud diu cunctandum ratus, rem ad Ampl. CC Virorum Confessum refert, atque rationibus omni exceptione majoribus suadet, in hoc rerum statu, in quo Academia insignibus ornamentis, Ordo vero Theologorum omni propemodum praesidio orbatus esset, nihil restituendae rei aptius fieri posse, quam si Ven. *FREYIUS* ad ordinariam docendi S. Litteras provinciam translatus, firmiore vinculo Academiae & Ecclesiae adstringeretur. Id quod continuo factum, illique Professio V. T. honorifice delata est.

Sic igitur Cathedram Theologiae ordinariam conscendit. Praefatione inaugurali, quam d. 29. Aug. recitavit, de *injusto contentu Librorum V. T. veroque iisdem à Christo & Apostolis*

statuto pretio. Idem argumentum deinceps continuavit, cum objectiones Joh. Clerici, quas in Libro *de Sententiis quorundam Theologorum Batavorum circa Historiam Criticam R. Simonii* effuderat, solidissime refutaret, ac *V. T. Canonem* egregie vindicaret.

Sed non sola hæc erat FREYI cura, ut Provinciæ, quam sortitus erat, docendo bene præesset. Quærendus quoque erat Collega, qui tertiam SS. Theologiæ Cathedram ornare, ac in negotiis gerendis adjutor esse posset, invenitque eum SS. Theologiæ Professore, qui sua pietate, eruditione, prudentia, judicio omnium quammaxime ad hoc Munus idoneus erat, *Johannem Grynæum.*

Hunc igitur Collegam nactus, quem maxime optaverat, sibi ingenio ac eruditione simillimum, ac vere *γῆσιον* Discipulum, omnia majore alacritate negotia suscepit. Ipsum primo novum suum Collegam tiara doctorali in frequenti Professorum ac V. D. Ministrorum, nec non Studioforum conventu ornavit, recitata erudita Oratione, qua & beneficium Dei in excitandis idoneis doctoribus, & ipsorum Doctorum officium facunde expositum fuit. Deinde ut hujus sui carissimi Collegæ tanto frequentius frueretur colloquio, atque cum eo quotidie de communibus studiis negotiisque conferre posset, ipsum domi suæ habitare, & omnia poene secum communia habere voluit; quantoque cum fructu Academiæ & Studiorum litterariorum id confortium initum fuerit, & vivis illis & mortuis compertum est. Sed ille cum d. 4. Febr. 1738. Cathedram Theol. primum conscendisset, ac publice privatimque docendo, Decanatum Ordinis Theol. ter, Rectoratum Academiæ semel summa cum dexteritate gerendo, exspectationi omnium satisfecisset, corpusculo morbis exhausto, a. d. 3. Eid. Apr. 1744. exspiravit, anno ætatis xxxix. nondum completo.

Quan-

Quantus vero omnium Bonorum luctus is fuerit, quanta imprimis FREYI nostri mœstitia, facilius mente cogitari, quam verbis exprimi potest. Parum aberat, quin dolore confectus publico Muneri valedicere, &, quod reliquum esset vitæ, in secessu transigere constitueret. Verum superavit Ecclesiæ & Academiæ nostræ utilitas. Amicorum vota prævaluerunt. Solatii nonnihil attulit, quod ad me potillimum Professio Theologica tum vacans delata est.

Interim observatum fuit, valetudinem FREYI antea jam debilem, & nimis curis ac vigiliis infractam, ab eo tempore succumbere penitus cœpisse. Ita facile apparuit, Grynei desiderium ne imminui quidem, quid dicam extingui? potuisse. Ut tamen id aliquo levamento ipse mitigaret, ex Schedis B. Viri *Λεξικὸν* collegit pretiosissima, sive *Opuscula nonnulla Theologico-Miscellanea*, eaque cum sua Præfatione ac Oratione, quam ab eo in Actu inaugurali dictam commemoravimus, a. 1746. typis mandari curavit. Sic ergo Amici manibus illustrissime parentavit. Cum enim in Promotionibus Biographia Candidatorum recitari soleat, ipse eam deinde ad vitæ finem perduxit, addiditque Grynei sui magnificum Elogium, quod & Viri egregii memoriam in æternum conservaret, & juvenibus nostris, si modo seduli legerint, virtutis insigne exemplar delinearet. Sunt vero & alia *Λεξικὸν Freyi & Grynei*, vera quidem illa, non fictitiæ reliquiæ.

Facile intelligitis, Auditores, ad *Institutum Freyio-Gryneanum* me pergere, cujus nunc rationem paucis explicabo, atque deinde finem dicendi faciam. Spero Vos breve adhuc temporis spatium de re nunquam satis laudata dicenti facile concessuros esse. Paucioribus rem absolvere potero, quoniam nuper Magnif. D. Rector noster honorificam ejus rei mentionem jam fecit.

Invenit enim B. noster FREYIUS, una cum B. *Johanne Gryneo*, modum Bonorum omnium plausu dignum, sed apud nos quidem in hunc usque diem inauditum, quo excellsi animi ad Immortalitatem adspirantis indolem evidentissime demonstraret, ac plus sibi gloriæ, plus posteritati utilitatis compararet, quam si à se conscripta IV. Librorum millia, quod de *Raymundo Lullo* jactant Hispani, nobis reliquisset. Solebat is frequentissime cum Pylade suo deliberare, ecqua ratione jacentia & propemodum neglecta Philologia S. & Linguarum Orientalium, maxime Hebr. Chald. Syriacæ & Arabicæ, studia feliciter excitari possent. Facile enim duo isti Viri, harum rerum præcipue gnari, intelligebant, non solam esse difficultatem, quæ discentes absterre-
ret, cum quidem adhibita industria, & perpenſa neceſſitate superetur. Sunt enim & aliæ disciplinæ æque difficiles, & rerum varietate ac multitudine copioſæ, quibus non defunt ſat multi cultores. Videbatur ergo huic poſſimum Philologia Orientalis Studio obſtare, ab una parte ſubſidiorum ac Librorum inopia; ab altera, quod pauca fere eſſent com-
moda, quæ illius aſſeclas manerent. Priori malo mederi equidem jam ſub initium iſtius, in quo vivimus, Sæculi ſtuduerunt publice Academiæ noſtræ Proceres, cum *Bibliothecam Buxtorſianam*, de qua ante dictum, emerunt, ac publicæ noſtræ Bibliothecæ adjunxerunt. Sed multa tamen & veterum & recentiorum Opera deerant, quæ à Cel. noſtro FREYIO privato ſumtu collecta fuerunt. Addidit reliqua, quæ ad rem theologicam in univerſum, & ad propædeuticas diſciplinās pertinent, ita ut parum deſit, quominus pleniffima hæc Bibliotheca Theologiæ ac Philologiæ S. appellari poſſit. Voluminum ſunt ad VIII. M. in quibus Latinorum Græcorumque Auctorum, item Patrum utriusque Eccleſiæ præſtantiffimæ Editiones, Hiſtoriæ tum Civilis tum Eccleſiaſtica Scriptores copioſiſſimi, Philoſophi inſigniores, Theologorum tantum non omnium Opera, Anglorum numeroſa ac pretioſiſſima Volumina, & quod Ca-
put

put est S. Bibliorum in Textu originali editiones poene omnes una cum Versionibus Orientalibus, inveniuntur. Quantum ille curæ ac diligentiae in his conquirendis adhibuerit, quam parum sumptibus pepercerit, facile ex ipsa inspectione patebit. Sed suam quoque ad Bibliothecam dedit Symbolam Cel. *Grynæus*, qui testamento constituit, ut ex ea, quam ipse collegerat minime contemnenda supellectile libraria, *Freyius*, quæ suæ Bibliothecæ deessent, acciperet. Sed ea tam fuerunt pauca, ut hæc Bibliotheca vere & in solidum sit *Bibliotheca Freyiana*.

Alterum, quod ad Litteras istas juvandas necessarium videbatur, commodum aliquod, & quasi præmium, quod Cultoribus earum sedulis propositum esset, ita sibi consecuturus videbatur, si honorificam aliquam, & cum emolumento conjunctam stationem, ceu provinciam, illis destinaret, qui in hoc Studium incumberent, aliisque deinceps docendis idoneos se redderent. Itaque præter instructissimæ Bibliothecæ usum, habitationem in suis Ædibus cum dimidia parte fructus, quem ferret non suburbanum, sed plane urbanum prædium amplissimum, Hortis, Vineis, Pascuis, Pomariis, fontibus perennibus constans, nec non Censu annuo Sortis IV. M. florenorum à B. *Grynæo* ad hunc ipsum finem relictorum, ei rei in perpetuum consecravit. Ita fore speravit, ut haud difficulter hoc Honorario inveniretur, qui præter ordinarios Doctorum Academicorum labores, huic operi omni studio vacaret, ac Juventuti studiosæ viam ad eruditionem Philologiæ Orientalis præiret. Ea itaque re judicavit stimulum addi generosioris indolis adolescentibus fortissimum, ut haud segnes essent, in his Litteris excolendis, cum videant, præter communem illam & omnibus notam earum in sacris Studiis utilitatem, immo necessitatem, ac Hebraicæ Linguæ publicam Professionem, etiam hæc Provinciam fortiri posse eum, qui præclaram in iis operam

posuerit, nec interea duce & ad hæc Studia impulsore carituros.

Itaque, ut ipsa Viri Venerandi verba propria manu jam Cal. Mart. a. 1747. consignata, ex vernaculo sermone in Latinum transferam; „Cum carissimo suo Amico & Collega „*Johanne Gryneo*, SS. Th. D. & Prof. consilium ceperat, In- „stitutum ejuscemodi ad promovendam Gloriam DEI, & „Studii Theologici incrementum, condendi, cujus præci- „puæ Leges sequentes essent.

„ 1. Omni tempore nominandum ad id exsequendum „Virum idoneum, qui non solum vitæ sit incontaminatæ, „sed & vere pius, & zelo Gloriam DEI promovendi ar- „dens: præterea non vulgari eruditione præditus, impri- „mis in Theologia ac ei inservientibus Disciplinis, Histo- „riis & Linguis, ut Latina, Græca & Orientalibus egregie „versatus, & dono docendi instructus. Vellem quoque, „inquit, ut, si fieri posset, Lector iste non modo SS. Mi- „nisterii, verum & SS. Theologiæ Candidatus, seu, ut di- „cere moris est, Licentiatus, aut etiam Doctor esset.

„ 2. Officia ejus sint sequentia: Præter sincerum stu- „dium, incrementum Rei Theologicæ in universum pro- „movendi, habeat primum Studiosis Theologiæ per singu- „las hebdomadas aliquot Lectiones in hac Disciplina, aut „ad illam pertinentibus Linguis & Historiis; idque aut pri- „vatim, aut, si fieri possit, publice. Itaque hoc *Institutum*, „quantum fieri potest, ad usum Studioforum accommode- „tur, eoque fine præcipue ad tria hæc Capita attendatur „quam diligentissime: *α.* ad Demonstrationem Veritatis „Divinitatisque S. Scripturæ: *β.* Expositionem ejusdem „S. Scripturæ genuinam: *γ.* Pacem & Concordiam Chri- „stianorum. Deinde identidem Dissertationem, aut Ora- „tionem, aut aliud ejuscemodi habeat; aut aliquod Scri- „ptum

„ ptum de argumentis indicatis prælo expressum in lucem
 „ edat.

„ 3. Emolumenta Lectoris sint: 1. Annuus Censui illius
 „ Sortis IV. M. florenorum, quæ à B. *Grynco* relicta fuit.
 „ 2. Habitatio in mea domo, & ususfructus dimidiæ partis
 „ omnium illorum, quæ illius ambitu continentur: ea ta-
 „ men lege, ut conferat dimidiam partem sumtuum ad ejus
 „ reparationem. 3. Utetur universa mea Bibliotheca, cum
 „ iis rebus, quæ ad eam pertinent. Ejus exstat Catalogus.
 „ Hanc ego Bibliothecam multis annis, multoque labore,
 „ ac pro mea tenuitate immensis sumtibus undiquaque col-
 „ legi, non in publicum, sed privatum meum usum: Qua-
 „ propter omni cura eam conservare, nec Libros ex ea aliis
 „ commodare oportet.

„ 4. Ut Institutum hoc vigeat, & in omne ævum con-
 „ servetur, tres exorabo & nominabo Viros, auctoritate,
 „ prudentia & pietate conspicuos, ut hujus Institutum Exe-
 „ cutores & Inspectores, qui deinceps alios, qui ipsis succe-
 „ dant, idoneos nominent. Eum in finem tres meos à mul-
 „ tis jam annis amicos & cognatos, Virum Excell. D. Do-
 „ ctorem *Zwingerum*, Prof. Medicinæ Practicæ, D. *Henricum*
 „ *Bruckerum*, Archidiaconum, [qui nunc Venerandus est
 „ Coetus Petrini Pastor] ac Virum Rev. D. *Theodorum Bur-*
 „ *cardum*, ejusdem Coetus Diaconum (jam mortuum) enixe
 „ rogaverim, ut istam operam Boni publici promovendi
 „ studio, ac amore B. *Grynæi* meoque adducti, haud gra-
 „ ventur suscipere; [quibus tamen deinde paullo ante mor-
 „ tem Successores jam ipse nominavit Virum Ven. D. *Andream*
 „ *Zwingerum*, Coetus Leonhardini Pastorem Vigilantissimum,
 „ Virum Excell. D. *Joh. Henr. Gerndlerum*, Historiarum Prof.
 „ Clarissimum, ac Virum Rev. D. *Joh. Georgium Ertzbergerum*,
 „ Coetus Petrini Diaconum fidelissimum.] „ Isti videant, ut,
 „ qui designabitur, Lector in officio præstando fidus sit, ac
 „ post

„ post ejus decessum alius idoneus ab illis *ἀνευ προσωπολη-*
 „ *ψίας* nominetur: item ut Sors capitalis, domus & Biblio-
 „ theca probe curentur. Ceterum prudentiæ illorum &
 „ zelo confusus permitto, ut secundum rerum circumstantias
 „ prout ipsis convenire videbitur, agant, dum Summa rei
 „ firma ac sine mutatione teneatur: possunt ergo pecuniam
 „ vel ipsi custodire, ac Lectori tantum Censum annuum
 „ concedere, vel ipsam Sortem Lectori, vel Heredibus meis
 „ administrandam permittere, prouti cum illis ea de re transi-
 „ gere poterunt”. Haftenus FREYIUS.

Quid est in *Freyio-Grynaeo* hoc *Instituto*, quod non omni
 laude, omniumque plausu dignum videatur? siue scopum
 rei, siue officia Lectori præscripta, siue emolumenta ac sub-
 sidia ei destinata, siue tandem curam. ad rem in perpetuum
 conservandam spectemus. Scopus est Gloria DEI, & rei
 theologicæ incrementum per Disciplinarum eo pertinen-
 tium ac Linguarum Studium promovendum. Officia sunt
 publicæ, aut si forte id fieri nequeat, privatæ, sed gratuita,
 Prælectiones, Disputationes, Orationes ac Scripta in publi-
 cam lucem emissa. Emolumenta sunt Habitatio cum fructi-
 bus prædii amplissimi ac Censu ex IV. M. florenis redun-
 dante. Subsidia exhibet copiosissima Bibliotheca, & instru-
 ctissima. Cura denique Virorum Excell. & Venerandorum,
 quos ipse Exsecutores, & quasi Curatores nominavit.

Quemadmodum vero nihil est in hac rerum fragilitate
 ab omni parte perfectum, sic, quæ FREYIUS rerum œco-
 nomicarum fere imperitus, non prævidit, incommoda circa
 habitationem & prædii fructus, in quibus difficilior, &
 futuris forte temporibus locum vix habitura partitio cum
 Heredibus, ac Heredum Heredibus, videbatur, sapienter
 judicarunt Excell. ac Venerandi D. Inspectores, omittendam
 esse in *Ædibus Freyianis* habitationem; vehementer id ex-
 optantibus Nobilissimis D. Heredibus, ac Summo Civitatis
 nostræ

nostræ Magistratu approbante. Compararunt nostras aedes, quæ situ haud inamœno, habitatione satis commoda, Museo, Auditorio, Conclavibus ad Bibliothecam digne excipiendam adaptatis vel jam instructa esset, vel, quod haud exiguo meo labore effectum est, tandem instruenda. Hæ ergo in posterum erunt *Ædes Instituti Freyio-Grynæmi*. Huc invitamus carissimos nostros Studiosos, Amicos, Fautores, Cives & Exteros, ut *Bibliothecam Freyianam*, à me in ordinem redigendam, inspiciant. Nulli non operæ nostræ parcere statuimus, ut eam posteris quam commodissime ordinatam relinquamus, nec non, prout res feret, auctam.

Sic ergo suum, sui que Amici *Joh. Grynæi*, consilium laudatissimum ad effectum perducendi provinciam ad me detulit B. FREYIUS noster, de quo sub finem vitæ haud parum sollicitus fuit. Quamvis enim ipsis XII. annis ante obitum suam voluntatem litteris consignasset, vix tamen ulli homini, nec nisi extremo vitæ anno rem indicavit, me quoque nominans, qui *Lectoris* s. ex *Instituto* illo docentis munere fungerer. Tandem & mihi, quem ipsius famæ, & Boni publici causâ facturum omnia noverat, quid in animo haberet, aperuit, rogat, ut negotium susciperem, ipsoque adhuc vivo (dixerat autem hæc mense Decembri a. 1758.) Lectionum initium facerem. Ego quamvis tum temporis Rectoratu Academico oneratus, habita mecum deliberatione, promissi, ac feriis post Natale Domini Festum finitis, d. 16. Jan. superioris anni *Geneseos* expositionem philologico-theologicam incepti, lætante B. Viro, cum meam in habendis, Studiosorum juvenum in audiendis Prælectionibus alacritatem cognosceret. Postquam vero è vita evocatus est, ac V. T. declarandi provincia in me devoluta, præter binas in *Genesin*, ad Prof. V. T. pertinentes, binas alias per hebdomadam Prælectiones, *Instituto* huic proprias, habere coepi, quibus generatim ea omnia, quæ ad Veritatem ac Divinitatem S. Scripturæ, ejusque genuinam expositionem pertinent, trado.

Non excurram in laudes hujus *Instituti*. Non referam illustrium Virorum exempla, apud Anglos potissimum conspicua, quæ imitati nostri esse videantur; qualia sunt *Theophili Galei*, *Guilielmi Cambdeni*, *Roberti Boylei*, aliorum. *Petrus Ramus* apud Gallos Professionem Matheſeos instituit, legatis annuis D. Libris. Professionem Linguæ Arabicæ *Guilielmus Laud*, Archiep. Cantuariensis in Anglia condidit, quæ primum *Edwardo Pokokio* demandata est, cui *Thomas Hyde* successit. Nec alia sane est efficacior ratio, diligentiam hominum excitandi, nisi propositis præmiis. Plerique enim ita sunt animati, ut ea solum quærant, quæ ad necessaria vitæ comparanda sufficiant. Pauci sunt, qui ad ipsa Scientiarum ac Disciplinarum adyta penetrent, & illa conquirant præsidia, sine quibus nulla omnino solida eruditio esse queat. Ut de solis dicam Theologis, cum S. Scriptura V. & N. T. una sit omnis salutaris doctrinæ scaturigo, eaque Linguis iis exarata, quarum nullus inter nos nunc est in communi hominum commercio usus; non aliter sane de vero & recto ejus sensu, quam ex S. Philologia constare potest, in qua qui non sit exercitatus, eum cœci instar alios ducentes sequi necesse est, de quorum fide & eruditione ipse judicare nescit. Sed non heic solum de S. Philologia, non de Linguis Orientalibus solis agitur; sed de latina quoque & græca, de Historiis, quarum in S. Litteris tractandis insignis est usus, de ipsa denique in universum *Re theologica*. Quid superest? nisi ut nos quidem omni ope adnitamur, ut salutaris ille scopus *Instituti Freyio-Grynæmi* obtineatur, id quod, *εἰν ὁ Κύριος θελήσῃ καὶ ζήσομεν*, sedulo agemus; & S. Litterarum Studiosi, quænam sint hæc eorum bona agnoscant, nec ullo modo committant, ut ipsorum negligentia fructus tam insignis beneficii pereat. Eum in finem hortamur eos etiam atque etiam, ut frequentes ad audiendas Prælectiones nostras conveniant, ut consulant de Studiis bene institutendis, ut consilia à nobis accepta sequantur.

Accedo

Accedo ad ultimam vitæ *Freyiane* Catastrophen. Fuit is quidem habitu corporis satis robusto, quamvis macilentus: Parentes habuit valetudine constante ad summam senectutem usos: Victus ratione utebatur modica & æquabili: à gravioribus animi curis & adfectibus per constantiam & pietatem sibi cavens: nulla in re modum excedens, nisi Librorum lectione, ac meditationibus, quas nonnisi brevicula deambulatione, & somno perquam raro interrompebat. Tali ratione ad senectutem pervenit; vexatus interim variis Capitis & Intestinorum doloribus, raro de valetudine sua non conquerebatur. Nec visus est à Malo hypochondriaco, communi illo Eruditorum morbo, immunis. Remedia fere omnia, præter aquas medicatas respuit; sola diæta dolorum vim lenire cupiens. Tandem vero decimo ante obitum Mense, gravior vis morbi incubuit; *dysuria* scilicet, ex ulcere intestinali in Vesicam pervio, in Marasimum desinente, lecto plerumque per id tempus adfixus. Medicus, artis peritia pereximia, & quod majus est, pietate & virtute christiana omni insignis, D. *Job. Rodolphus Zwingerus*, Socer noster honoratissimus, non tam accersitus, quam proprio animi studio ad vitam Adfinis sui, Virique tam præclari, si qua fieri arte, DEO volente, posset, conservandam, assidue accurrens, nihil non adhibebat curæ & consilii. Sed majores erant morbi vires, eventusque docuit, hac via ad DEUM evocari nostrum debuisse. Viribus enim paullatim exhaustis in soporem delapsus prid. Cal. Mart. seu d. 28. Febr. superioris anni, ante lucem exortam vivere desiit, animam DEO & Servatori, cui fideliter serviverat, cujus veram Divinitatem & Gloriam fortiter propugnauerat, quem & sanus & ægrotus per patientiam ac fidem coluerat, reddidit, ætatis anno LXXVI. cum III. Mensibus. Corpus triduo post ad D. Leonhardi in idem Sepulcrum depositum, cui ante xv. annos suum Amicum carissimum, *Johannem Gryneum*, inferri curaverat,

parentante Viro Venerando, D. *Andrea Zwinger*o, ejus Ecclesiæ fidelissimo Pastore.

Nemo nostrum dubitat, quin jacturam eo die fecerimus irreparabilem, siue eruditionem immensam, siue ingenii perspicaciam, judicii acumen, rerum multarum experientiam, animi invictam in bono & vero constantiam; siue ceteras Christiani hominis ac Theologi virtutes spectemus. Neque ego has prolixius recensebo, cum ex omni nostra Oratione satis intelligi potuerint. DEUM potius O. M. ut mecum venerari ex intimo cordis sensu velitis, Vos, Auditores O. O. H. rogo.

D I X I.

O R A T I O.

ÆTerne ac benignissime DEUS, Pater D. N. J. C. Quid est justius ac pietati convenientius, quam ut TIBI gratias agamus immortales, quod talem nobis Virum per XLVII. annos in Academicis Muneribus versatum concefferis! Quanta inde Bona in universam nostram Patriam, imprimis autem in Ecclesiam & Academiam redundaverint, facilius mente concipimus, quam verbis exprimatur. Tua sunt hæc omnia Beneficia inæstimabilia, quibus nos indignos adfecisti. TU eum nobis Virum excitasti. TU animi dotibus insignibus eum instruxisti. TU per Gratiam tuam illum ad Ecclesiæ tuæ emolumentum promovendum idoneum fecisti. TU denique eum ipsi animum

munum indidisti, ut gratiam à TE acceptam ad commune Bonum converteret. Utinam TIBI placuisset, eum Virum diutius nobis conservare! Sed non est, quod conqueramur. Gratiae potius agenda, quod tam diu nobis tale Bonum conservaveris. Gratiae quoque agenda quammaxime, quod non deseruisti nos penitus; sed potius Successorem nobis tali Viro dignum suppeditasti; quod tam efficaci ratione luctum nostrum sustulisti; quod TE Ecclesiae ac Scholae nostrae tam propitium praestitisti.

Perge modo, aeternae DEUS, eadem nos benignitate complecti. Fac ut nullo non tempore bona, quae nobis seu praeteritis, seu praesentibus temporibus concessisti, ante oculos habeamus; ut intueamur exempla Virtutis & Pietatis, quae nobis proposuisti; ut zelum pro Gloria tua & Ecclesiae puritate ferventissimum demonstramus. O! quantum proficeremus, si eodem fervore veritatem salutarem Evangelii disseminarem, quo Satanas ejusdemque Servi, quales prohi dolor! plurimos deprehendimus; impietatem, profanum Religionis contemptum, vitia ac omnigenam depravationem promovere satagunt. Adspira nobis omnibus, quos Doctores in Ecclesia & Academia dedisti, ardorem animi convenientem, una cum prudentia vere theologica, ut seposito pravo hominum respectu, fortiter tuum Regnum inter homines amplificemus. Fac & illud, quod solus potes, ut Juventus studiosa, abjectis carnalibus cupiditatibus, tota sese Tibi tuaeque Gratiae dedat; ut Verbum tuum diurna nocturnaque manu versans Duces sibi

præfectos sequatur ; ut denique tuo tuæque Ecclesiæ Ministerio vere sese consecret.

Conserva Almam Academiam nostram, cujus IV. Sæculum nuper inivimus. Conserva Ecclesiam ac universam Patriam, ac Viros egregios, utriusque curam gerentes ; & consiliis laboribusque eorum fave. Institutum Freyio-Grynæanum tuo Nomine cœptum fac ut egregios fructus ferat, eumque in finem tuo auxilio docenti pariter & discipulis adesse perge. Omnia tandem largire nobis, quæ ad Salutem nostram æternam promovendam apta sunt. Rogamus hæc per D. N. J. C.

A M E N.

Scripta à JOH. LUDOVICO FREYIO edita.

1. *De Natura Mentis humane, Præsidi THEODORO ZWINGERO, auctor pro Magisterio, d. 25. Jul. 1699. p. 12. 4.*
2. *Mohammedis de J. C. sententia, Præsidi SAMUELE WERNFELSIO, auctor pro Ministerio, d. 8. Jun. 1703. p. 38. 4.*
3. *Excerpta nonnulla ex Comment. inedito R. Abaronis Ben Joseph, Judei Caraitæ, cum Vers. lat. & Not. Præmittitur brevis Dissert. de Auctore ejusq. Scripto. 4. Amst. 1705. p. 28.*
4. *De conjungendo Studio Linguarum Orientis cum Studio græco ; vacante Cathedra Lingue Græcæ, Dissert. Respondente JEREMIA RAILLARDO, d. 27. Nov. 1705. p. 20. recusa in Temp. Helv. T. V. Sect. 2.*

5. De

5. *De Cyro, Monarchiæ Persicæ Auctore, Dissert. vacante Professione Histor. d. 13. Jul. 1706. p. 28. 4. recusa in Temp. Helv. T. V. Sect. 1.*
6. *Meletematum de Officio Doctoris Christiani Pars I. pro Doctoris Theol. Gradu, actum moderante HIERONYMO BURCARDO, d. 4. Aug. 1711. p. 36. 4.*
7. *Meletematum Partis primæ Continuatio, pro vacante Cathedra Theol. d. 4. Sept. 1711. p. 36. 4.*
8. *Meletematum Pars III. Respondente CASPARE WETSTENIO, J. R. F. J. R. N. d. 16. Maji 1714. p. 16. 4.*
9. *Meletematum Pars IV. Respondentibus JOH. JACOBO HORNERO & ANDREA MERIANO, A. F. M. N. d. 5. & 8. Febr. 1715. p. 24. 4.*
10. *Lexicon Universale Historicum &c. cum præf. J. C. ISELII f. emendatum & auctum. Vol. IV. Basil. 1726.*
11. *JOH. HENR. SUICERI Thesaurus Ecclesiasticus, è Patribus Grecis collectus, auctus & emendatus, edit. 2. Vol. II. f. Amst. 1728.*
12. *Epistolæ SS. Patrum Apostolicorum, Clementis, Ignatii & Polycarpi, atque duorum posteriorum Martyria; omnia græce & lat. cum Varior. Adnotat. & Præfat. sua, itemque Notis in Clementem. 8. Basil. 1742. p. 344.*
13. *JOH. GRYNÆI, SS. Th. Doct. & Prof. λέξις, seu Opuscula nonnulla Theologico-Miscellanea. Præfigitur Auctoris Biographia. 8. Basil. 1746. p. 264.*
14. *Epistola ad V. C. JACOBUM KRIGHOUT, Remonstrantium Amstel. Professorem, Stricturas nonnullas ad Servitorem funebrem, quem suo nuper Collegæ, JOH. JAC. WETSTENIO habuit, continens. 4. Basil. p. 54.*




EPICEDIA nonnulla.

Qui pietate tua fulgebas, Optime FREYI,
 Doctrina & summi dotibus ingenii,
 Perpetues harum nobis ut providus usum,
 Lampada præclaro tradis en ipse Viro;
 Sic fato functus nobis quam maxime prodes,
 Dum coeli regno, dum fruerisque Deo.

EMANUEL RYHINERUS

S. Th. D. Loc. comm. & Controv. Prof.



Ἐπιγραφή ἐπιτάφιος.

Τάφος ὅδ' ἐστὶ Φρηγίᾳ.
 Μεταγῆτης ἦν Γαυρικὸς,
 καὶ Φίλος Γρυναίᾳ
 Θεῶ δ' ἀποδὲς ψυχὴν
 Θαῦμα ὑπερογενέσι,
 ἀνδράσι τε φιλολόγοις
 καλλιτέχνῃ σπεδῆς ἐμπύρευμα,
 τῇ δὲ πατρίδι
 ἄσβεστον αὐτῇ ἔλιπε πόθον.
 Χαῖρέ μοι μάκαρ
 καὶ ἐν ἑρανῶ βασιλείῳις,
 τὸ ἡμέτερον αἰεὶ σῶζ' Ἀθήναιον
 ἀγανόφροσι λιταῖς.

JOH. HENRICI FALCKNERI

J. U. D. COD. & JUR. FEVDAL. P.

REIP. SYND.

In

In. tumultum τῷ Πάνν.

DOCTORUM linguas duodenas ore locutus
 FREIGIUS hic situs est gloria Rauracidum,
 Hebræus, Chaldæus, Arabs, Samarita, Syrusque,
 Quocum uno & poterat Pænus uterque loqui:
 Doctrinæ locuples opibus, juxta omnibus idem
 Artibus excellens Hellados & Latii:
 Quo nemo in terris aut sacra volumina volvit
 Castius, aut mystis clarius explicuit:
 Gloriolæ miseræ vani & contemptor honoris,
 Contentus studiis invigilasse suis:
 Invidiam supra positus vocesque malorum,
 Judice stans uno testeque ubique Deo:
 Arbiter ante alios meritorum æquissimus idem,
 Cuique suum tribuens ambitione procul:
 Corpore, non animo, perpeffus plurima vitæ
 Tristitia mortalis, mortis ad usque diem,
 In Christi invenit requiem nunc ille laborum,
 Quemque pie coluit, quem docuitque, sinu:
 Hic Grynæus ei rursus jungetur amico,
 Cor unum & fient hic quoque corda duo.

h. m. p.

BIRRIUS.

Εἰς Φρήγιον τὸν Πάνν.

Φρήγιος ἐνθάδε κείται· τὸ δ' ὄνομα ὑπέρτατον αὐτῷ
 Μὴ γινῆς μηδ' αὐτὰς οἶδ' ὅγε Περίδης.

Manibus Viri Summi,
 Optimique quondam Præceptoris,
 Venerabundus adscr.

J. H. GERNLERUS, *Histor. Prof.*

G

Γνώσιος

Γνώσιος αὐτῇ γνώσις ὑπέρροχός ἐστιν ἀπάσης,
 Ἦνγε μαθὼν ἱερῶν ἐκ δέλτων θείατα οἶσεν,
 Ἀλλ' εἴπερ τις τ' ἀνθρωπία θεῖά τε γνώη
 Πάντα, ἀνευ ἀγάπης ὄφελος τοῖς δὲ ἔσθ' ἐνείη.
 Θεολόγος πάσης ἀρετῇσι κεκασμένος ἦσθα,
 Τρεῖς Μάκαρ, ἡμέτερον μέγα κῦδος ἐὼν καὶ ὄνειαρ.
 Τῆς δὲ τελειότερας γνώσεως ἀγάπης τε ἐραδείς,
 Οὐρανὸν εἰσανέβης, σὺν Χριστῷ συμβασιλεύσων,
 ὄντ' ἐφίλεις ἀπεὼν, παρῶν νῦν αἰὲν ἐσόπῃ,
 Ἐνδόξω χάρις συνεχὲς κεχαρημένος ἦτορ.
 Ἀλλὰ μετ' ἀνθρώποισι τεὸν κλέος ἔπ' οὐ δλείπαι,
 ὅσσοις γε Χριστοῦ μαθήματα θεῖα μελήσει.
 Τοῖσι δὲ Βροχαρόν, καὶ Βέκκιον, Ρηχίνερόν τε
 Νῦν θάλλοντας ὀρώμεν, αἰεὶ τ' ἀρώμεθα θάλλειν.

Plur. Ven. FREIGIO, τῷ πάντῃ,
 Præceptorī fautorique desideratissimo
 l. m. q. p.

JO. GEORGIUS ERZBERGER,

Diac. Petrinus.

Sic est in fatis, mortalia singula sunt,
 Hoc dudum tempus, periculumque docent.
 Tristis at illa tamen semper jactura Virorum
 Magnorum est, graviter quippe dolenda nobis.
 Præsertim WERENFELS, FREYIUS, ISELIUSQUE
 GRYNÆUS nunquam non memoresque mei.
 Det DEUS Omnipotens horum vestigia calcant,
 Quos successores semper habere velit.

Hæc mæstus bono animo apponere,
 damnumque Josephi deslere voluit

M. J. J. WAGNERUS, Diac. Leonhard.





C. S. S.

VIRO ERUDITIONIS INCOMPARAB.
POLYHISTORI

HISTORICO THEOLOGO SUMMO
LING. ORIENT. THESAURO

J. LUDOVICO FREYIO

S. TH. D. ET PER A. XXVI. EXTR.

HIST. ORD. DEIN PER A. XXII.

S. TH. ORD. PROFESS.

DE ACAD. ECCLES. AC BON. LITT.

OPTIME MERITO

INSTITUTI FREYIO-GRYNAEANI

AUCTORI

POST FATA ETIAM BENE MER.

HAEREDES H. M. F. C.

OB. D. XXVIII. FEBR. M. DCC. LIX.

VIX. A. LXXVI. M. III. D. VI.

EODEMQ. TUMULO

CUM AMICO DESIDERATISS.

REQUIESCIT.



C 2 1

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

HISTORICAL ARCHIVES

OF THE UNIVERSITY

LUDOVICO FREYTO

2 THE DIST. A. XVII. EXPL.

WEST. AND DIST. A. XVII.

2 THE DIST. A. XVII.

DE ACQUIS. A. XVII. ACQUIS. XVII.

OF THE DIST. A. XVII.

INSTITUT. FREYTO-CHICAGO

ACQUIS. XVII.

POST. XVII. FREYTO-CHICAGO

ACQUIS. XVII. FREYTO-CHICAGO

ACQUIS. XVII. FREYTO-CHICAGO

ACQUIS. XVII. FREYTO-CHICAGO

ACQUIS. XVII. FREYTO-CHICAGO

CUM A. XVII. FREYTO-CHICAGO

ACQUIS. XVII. FREYTO-CHICAGO

